



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonaë, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

Quae sint officia singulorum Ordinum minorum. Discrimen inter Ministros Regionarios, Stationarios, Basilicarios, & oblationarios. De Archipresbyteris & Archidiaconis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

tini. Nam cum dixisset Hilarium Pictaviensem Episcopum sæpe tentasse diaconi officium Martino imponere, & hunc semper restitisse, subdit: „Intellexit vir altioris ingenii hoc eum modo posse constringi, si id ei officii imponeret, in quo quidam locus injuriæ videretur. Itaque exorcistam eum esse præcepit. Quam ille ordinationem, ne despexisse tanquam humiliores videretur, non repudiavit. Ex quo liquet tempore S. Hilarii, qui obiit anno, ut plerique existimant, 367. ordinem Exorcistarum ab aliis distinctum, & inter humiliores seu minores computatum existisse, adeo ut injuriæ tribui posset, quod vir aliquis eximius ad illum assumeretur. S. Felicem primo Lectorem, deinde Exorcistam ordinatum fuisse Paulinus in *ejus Natali 4.* testatur his versibus.

--- *Primis Lector servivit in annis,
Inde gradum cepit, cui minus voce fidei
Adjurare malos, & sacris pellere verbis.*

Que sint officia singulorum Ordinum minorum. Discrimen inter Ministros Regionarios, Stationarios, Basilicarios, & Oblationarios. De Archypresbyteris & Archidiaconis.

XVIII. **O**fficia singulorum Ordinum ex Romano Pontificali hæc sunt. Acolythi debent ceroferrarium ferre, luminaria Ecclesiæ accendere, vinum & aquam ad Eucharistiam ministrare. Olim ex ordine Romano ferebant patenam, sindonem, sacculos, & chrisma ante Pontificem, quando procedebat ad Stationes: vasa sacra diaconis porrigebant, manutergium portabant, & aquam ad lavandas manus ministrabant. Exorcistam oportet abjicere demones, & dicere populo, ut, qui non communicat, det locum; & aquam in ministerio fundere. Lectoris munus est scripturas in Ecclesia legere, unde & nomen accepit: & panem ac omnes fructus novos benedicere. Antiquitus epistolam & Evangelium legebant, ut suo loco patebit. Apud Græcos Lector, qui illis est Anagnostes, omnes scripturas legit præter Evangelium: cereos & lampades accendit: ignem affert, cum aqua calida calici infundi debet, de quo ritu infra agemus: luminaria fert ante mysteria in magno introitu, cum scilicet è prothesi ad altare deferuntur:

hymnos Cantoribus præcinit: panem, vinum, & aquam defert Sacerdoti, cum sacris operaturus est: Ecclesiam ornat & præparat quæ in ea sunt necessaria. Ostiarius percutit cymbalum & campanam: Ecclesiam & sacrarium aperit & claudit: & librum aperit ei qui prædicat. Ex his autem ministris quidam in Ordine Romano, & apud Anastasium in vitis Pontificum dicuntur Regionarii, qui per Regiones distributi Pontifici in illis ministrabant. Alii Stationarii, qui eidem aderant in Stationibus celebranti. Erant & Basilicarii seu Palatini, qui in Basilica Lateranensi per vices serviebant. Erant denique Oblationarii, ad quos spectabat oblationes suscipere, & deferre Archidiacono. Abiit nunc in desuetudinem hæc distinctio, quæ Diaconos, Subdiaconos, & Acolythos tantum comprehendebat. Desierunt quoque minorum ordinum officia, quæ plerumque a pueris, & ab hominibus mercede conductis, nullisque ordinibus initiatis exercentur. Præcis temporibus nemo clericus ordinabatur, qui alicui Ecclesiæ non esset addictus. Admissi autem pueri in consortium cleri primò literas, cantum, & ritus ecclesiasticos edoceri solebant, ut passim legimus in vitis Pontificum: tum Ostiarii, deinde Lectores ordinabantur, & sic per gradus ad reliquos ordines ascendeant, cum prius singulorum officia exercuissent. Atque hinc oriebatur, ut rerum Ecclesiasticarum peritissimi essent, in quibus fuerant ab ipsa penè infanzia enutriti. Collabi cœpit hæc disciplina ante annos circiter quingentos, donec paulatim ad illos mores deventum est, quibus nunc utimur & vivimus.

Episcopo solemniter celebranti plures ministri assistunt, qui cum Presbyteri vel diaconi sint, non est de illis specialis disquisitio instituenda. Eminent inter Presbyteros Archipresbyter, inter Diaconos Archidiaconus, de quorum officio & dignitate quicquid ex præcis Ecclesiæ usu dici potest, vir diligentissimus Jo. Morinus in unum collegit, & solerter discussit lib. de Sac. ord. P. 3. exerc. 16. Isaacius item Habertus de antiquo gradu & officio Archidiaconi eruditè disseruit ad P. 9. *Archieratici observat.* 6. His igitur prætermisissis reliquum est, ut de Cantoribus agamus, quorum officium versatur in quibusdam Liturgiæ partibus decantandis.